

obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresin seu impietatem, divinationem, superstitionem spectant, a Catholicis theologis inquisitionis generalis auctoritate expurgatis, concedi possunt.

Idem iudicium sit de prologis, summaris seu annotationibus, quæ a damnatis auctoribus, libris non damnatis appositæ sunt; sed posthac non nisi emendati excendantur.

Regula IX. — Libri omnes et scripta geomantia, hydromantia, acromantia, pyromantia, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artes magicæ, prorsus rejiciuntur.

Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiae judiciariae libri, tractatus: indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitis casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem iudicia, et naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta sunt.

Observatio, circa unam regulam. — Circa regulam IX, ejusdem Indicis ab episcopis, et inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra regulam hanc libros hujusmodi astrologiae judiciariae, divinationum, et sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem regula expressarum procedi potest, non modo per ipsos episcopos et ordinaris, sed etiam per inquisitores locorum ex constitutione fel. record. Sixti Papæ V, contra exercentes astrologiae judiciariae artem, et alia quæcunque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgatæ, sub datum Romæ, ad S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585, Nonis Januarii, pontificatus sui anno primo.

Regula X. — In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in concilio Lateranensi sub Leone X, sessione decima statutum est.

Quare si in alma urbe Romana liber aliquis sit imprimendus, per vicarium summi Pontificis, ac sacri Palatii magistrum, vel personas a sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius examinetur.

In aliis vero locis ad episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem episcopo deputandum, ac inquisitorum hæreticæ pravitatis, ejus

civitatis, vel diocesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis, et sine dilatione imponendam, sub pœnis et censuris in eodem decreto contentis, approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum, apud examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vellant, nisi ante examinati probatique fuerint, ejusdem pœnis subijci debere judicant Patres deputati, quibus impressores, et qui eos haberint, et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque et examen, ac certa gratis fiant.

Præterea in singulis civitatibus, ac diocesisibus domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecæ librorum venalium sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab episcopo, sive ejus vicario, atque etiam ab inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, et quicumque librorum venditores habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant, sine licentia eorundem deputandorum sub pœna amissionis librorum, et aliis arbitrio episcoporum, vel inquisitorum imponendis: emptores vero, lectores, vel impressores eorundem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renuntiare, vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejusdem loci prædictis personis significant, libros esse ad ductos.

Nemo vero audeat librum, quam ipse sive alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab hæredibus, et executoribus ultimarum voluntatum ut libros a defunctis relictos, sive eorum indicem illis

personis deputandis offerant, et ab illis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione eos transferant.

In his autem omnibus et singulis pœna statuitur, vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorundem episcoporum, vel inquisitorum pro qualitate contumaciæ vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt; quidquid illos statuisset constiterit, tam bibliopolæ, quam cæteri observent.

Liberum tamen sit episcopis, aut inquisitoribus generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis, vel diocesisibus expedire judicaverint.

Cæterum nomina librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem deputationum secretarius, notario sacre universalis inquisitionis Romanæ descripta sanctissimi Domini nostri jussu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regularum præscriptum, aut hujus indicis prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero alio nomine interdictos legerit, aut habuerit præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio episcoporum severe puniatur.

Observatio de Talmud, et aliis libris Hebræorum. — Quamvis in tertia classe indicis prædicti Pii Papæ IV, sub littera T. Talmud Hebræorum, ejusque Glossæ, annotationes, interpretationes et expositiones omnes prohibeantur, sed quod si absque nomine Talmud, et sine injuriis et calumniis in religionem Christianam aliquando prodissent tolerentur; quia tamen sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII per suam Constitutionem contra impia scripta et libros Hebræorum sub datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini MDLXXXII, pridie Kal. Martii Pontificatus sui anno secundo, illos prohibuit atque damnavit: mens ipsius non est,

eos propterea ullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi, sed specialiter et expresse statuit, et vult, ut hujusmodi impii talmudici, cabalistici, atque nefarii Hebræorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant et censeantur, atque super eis, et aliis libris hujusmodi, prædicta constitutio perpetuo et inviolabiliter observetur.

De libro Magazor. — Ad hæc sciant episcopi, ordinarii, et inquisitores locorum, librum Magazor Hebræorum, qui continet partem officiorum et cæremoniarum ipsorum et synagogæ, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quavis alia vulgari lingua, præterquam Hebræa editum, jam diu ex speciali decreto rationabiliter prohibitum esse. Idcirco provideant illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua prædicta.

112. De instructione ad expurgandos libros prohibitos præscripta. Remissive. — Post hæc regulas subjuncta etiam habetur instructio illis serviens, qui libris tum imprimendis, tum expurgandis deputati sunt, quam lege in fine concilii Tridentini, post memoratas regulas positam; servit præcipue reverendissimis ordinariis, et eorum vicariis generalibus.

113. Asserunt aliqui, indicem librorum prohibitorum absolute non esse receptum: aliqui vero non esse receptum quoad libros secundæ classis. — Quæritur III. Utrum index librorum prohibitorum in Germania receptus sit, et obliget? Ratio dubitandi, et negativam tenendi est assertum quorundam absolute dicentium, indicem librorum prohibitorum in Germania non esse receptum; et aliorum inter quos est Layman, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 8, volentium, eum non esse receptum quoad prohibitionem librorum secundæ classis: in specie vero non esse receptam regulam IV. Indicis de lectione sacre Scripturæ in vulgari idiomate. Num autem opinio et assertum horum doctorum ut preferatur, in facto et jure subsistat, patebit ex sequentibus conclusionibus. Nam merito movetur controversia.

114. Assertum de absolute non recepto indice in facto, non subsistit, nec in jure. — Resp. I. Certum videtur, quod assertum de absolute non recepto indice, in facto minime subsistat. Ratio est, tum quia nemo præsumit dicere, Germanos posse omnes et singulos, quantumvis ab indice prohibitos,

etiam primæ classis, et quorumvis hæreticorum, ac hæresiarcharum, de quacunque tandem materia religionis, aut hæresis, etc. perniciose, et periculose tractantes legere; tum quia prudentes, et timentes Deum passim sollicite petunt, et obtinent, vel immediate a Sede Apostolica, vel ab episcopo speciali facultate prædito licentiam legendi libros prohibitos, et hoc ipso indicant, assertum de absolute non recepto indice carere solido fundamento. Imo id ipsi etiam reverendissimi Germaniæ ordinarii aperte innuunt, cum facultatem legendi libros prohibitos pro speciali gratia per Sedem Apostolicam sibi concessa, et singulis quinquenniis necessario renovanda habeant; prout etiam pro eadem elapso quolibet quinquennio sollicite de novo instant, et hoc ipso fatentur, indicem librorum prohibitorum etiam ibi obligare, ac per consequens receptum esse. Quod etiam in jure non subsistat dictum de indice absolute non recepto assertum, patebit ex dicendis infra n. 116.

115. *Idem est de asserto absolute dicente, non esse receptum indicem quoad libros secundæ classis.* — Resp. II. Etiam alterum assertum absolute dicens, indicem quoad libros secundæ classis non esse receptum in Germania, nec in facto, nec in jure videtur subsistere. Nam quod in facto non subsistat, militare etiam videntur rationes n. præced. allatæ. Quibus accedit, quod prohibitio indicis etiam in Germania usu recepta pateat quoad plures libros ad secundam classem spectantes, aut reducibiles, veluti libri a catholicis auctoribus de rebus obscenis, vel practicandis sortilegiis, maleficiis, incantationibus, etc. scripti, vel certo prædicentes futura contingentia, quæ dependent a libera voluntate humana; quos et plures similes libros editos vel edendos ob prohibitionem indicis in Germania quoque legi non posse, passim fatentur doctores etiam Germani, ipse quoque Layman, cit. lib. II, tr. I, cap. xv, n. 8, etsi memorati libri ad secundam classem spectare videantur, utpote non propter auctorem hæreticum, nec propter hæresin inibi contentam, sed ob non sanam, suspectam, moribus fidelium contrariam a catholicis scriptam doctrinam sunt prohibiti juxta dicta n. 101, consequenter in facto non videtur subsistere assertum Laymani, et aliorum absolute dicentium, prohibitionem indicis quoad libros secundæ classis non esse receptam.

116. Quod etiam in jure non subsistat memoratum assertum absolute prolatum militare videtur, tum quia ad obligationem justæ legis non est necessaria acceptatio per dicta n. 82. Tum quia legem justam, qualis utique est prohibitio librorum etiam secundæ classis, subditi tenentur acceptare juxta dicta n. 83; tum etiam quia, etsi hæc lex per consuetudinem contrariam legitime præscriptam abrogata fuisset, tamen etiam eidem consuetudini diversis successivis temporibus rursus derogatum fuit per plures constitutiones Pontificias subsequentes:

117. *Plures Pontifices indicem de novo confirmarunt, et consuetudines contrarias revocarunt: idemque faciunt successores.* — Nam, quod bene notandum, postquam prima vice auctoritate concilii Tridentini, et Pii IV, per Bullam *Dominici Gregis* (quæ est 77, in tom. II, Bullarii inter constitutiones dicti Pontificis, et reperitur etiam ad finem concilii Tridentini indici librorum præfixa) index librorum prohibitorum fuit confectus et absolutus, eundem postea Clemens VIII, in constitutione, Sacrosanctum Ecclesiæ, quæ est 36, inter constitutiones dicti Pontificis in tom. III, Bullarii Cherub. denuo confirmavit, innovavit, et ab omnibus observari de novo præcepit, cunctisque consuetudinibus contrariis, interea introductis, expresse derogavit. Eundem etiam Gregorius XIV, in constitutione, *Apostolatus officium* (quæ est 40, inter constitutiones dicti Papæ in III tom. Bullarii, et habetur insuper post indicem librorum prohibitorum concilio Trident. annexa) observari de novo præcepit, simulque revocavit, et annullavit omnes licentias legendi libros prohibitos a prædecessoribus cuicumque concessas: quod idem, et quidem adhuc magis expresse fecit Urbanus VIII, in Bulla *Apostolatus officium*, quæ est 116, in Bullario. Eundem eum regulis illius ulterius innovavit, confirmavit, et exacte observari præcepit, consuetudinibusque contrariis forsitan interea de novo introductis derogavit Alexander VII, in supra n. 110, citata Bulla *Speculatores Israel*: Idem facere, et observationem indicis præcipere videntur Pontifices successores, dum fere omnes ad hæc usque tempora libros aliquos de novo prohibent, eosque indici librorum prohibitorum inseri mandant, ita ut memoratus index continuo augeatur, sicque auctus una cum antiquis regulis indici ab initio statim præfixis auctoritate eorum-

deri prodeat, et exacte observari præcipiatur.

118. *Ut proin difficile sit probare de jure, non receptionem, vel consuetudinem contrariam.* — Ex quibus utique patet, quam difficile sit, absolute manutenere, indicem etiam quoad libros secundæ classis in Germania non esse receptum, vel eidem consuetudine contraria legitime præscripta derogatum; cum novæ constitutiones ejusdem observationem de novo præcipientes jugiter emanent: quæ consuetudinibus contrariis derogant, et quas utpote justas acceptandi gravis obligatio est.

119. *De indice quoad aliquos libros secundæ classis non recepto, assertum non subsistit.* — Quod si quis contendat, assertum de non acceptato, vel consuetudine contraria abrogato indice librorum prohibitorum secundæ classis saltem ex parte verificari, videlicet quoad lectionem et retentionem librorum prohibitorum, qui cæteroquin boni et optimi ob unam vel alteram, aut plures doctrinas sacræ theologiæ minus convenientes aut sacris canonibus, ac constitutionibus Pontificiis contrarias, aut quia in certa materia excedunt, vel quia scripserunt de aut super materia, de qua scribere, aut glossare non licet, etc., facilius intentum assequatur; quia tales libros in Germania non obstante indice expresse illos prohibente passim teneri, et legi in comperto est; quales v. g. in specie sunt Francisci Pellizarii Manuale regularium, Brunonis Chassacini Privilegia regularium, Augustini Barbosa Collectanea, declarationes, et remissiones, etc. circa quos tamen os in cælum ponere, et positive aliquid dicere non audemus, sed id S. Congregationi ad id per Sixtum V erectæ relinquimus, id solum dicentes, et securius, et laudabilius esse etiam in his simpliciter obedire Sedi Apostolicæ.

120. *Speciale notabile circa libros primæ classis.* — Illud tandem etiam observandum circa libros in indice prohibitos, quod si dato non concesso verum esset, illum vel ex toto vel ex parte non receptum, vel eidem consuetudine legitime præscripta derogatum esse in Germania, consequenter libros in eo prohibitos legi ibidem posse, et retineri, tamen libros primæ classis editos ab auctore hæretico, et de religione tractantes, vel hæresin continentes, ab eodem prohibitos, legi, aut retineri non posse; quia libri etiam prohibentur per Bullam Cœnæ,

quæ non potest non recipi, nec consuetudine contraria abrogari, juxta dicta n. 82.

121. *Etiam regulares tenentur ad observantiam indicis.* — Quæritur IV. Utrum etiam regulares teneantur ad observantiam indicis? Ratio dubitandi, et negativam tenendi est, quod Gregorius XIII concesserit Societati Jesu, et consequenter per communicationem privilegiorum etiam aliis, præsertim mendicantibus regularibus, quod superiores eorum generales possint suis subditis concedere facultatem legendi libros hæreticos, et alios prohibitos, uti videre est in Bullario ejusdem Societatis; ob quod etiam Peyrin. dictam negativam tenuit. Quo non obstante. Resp. affirmative, communis. Ratio est, quia Gregorius XV et Urbanus VIII, supra n. 117, citati revocarunt omnes licentias et facultates quibuscunque etiam regularibus, et quomodocunque concessas tenendi, et legendi libros prohibitos.

122. *Quia privilegia eorum sunt revocata.* — Nec quidquam valet, quod pro sententia contraria affert Peyrin. (quem indirecte defendere conatur Pellizarius, in *Manuali regulari*. tr. VI, cap. v, n. 37) dicens, dictas revocationes tantum afficere licentias particulares via ordinaria concessas, non autem facultates generales, seu privilegia regularibus concessa legendi, et tenendi libros hæreticos, et alios prohibitos. Nam contra est, quod Urbanus VIII revocet licentias et facultates quibuscunque, et quomodocunque, consequenter etiam per modum privilegii, et ex quacunque causa concessas, uti videre est ex textu Bullæ ita sonante: Quapropter, cum librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et sicut accepimus, nimis excessiva sit, hujusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, ut huic malo mature occurratur, et in posterum quam cautissime licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias legendi, et habendi libros quoscunque ob hæresin, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, etiam ratione astrologiæ judiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis, et ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus cujuscunque ordinis, societatis, institui, existentibus, ac

quacunq̄ dignitate, etiam ecclesiastica fulgentibus, cujuscunq̄ status, gradus, conditionis, qualitatis, præminentia, etiam speciali nota, et mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, et aliter quomodocunq̄, et ex quacunq̄ causa, tam in forma brevis, quam aliter quomodocunq̄ a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu a quibuscunq̄ aliis a nobis, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus, non tamen a nobismetipsis per litteras Apostolicas, etiam in forma brevis, seu chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, et insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, et annullamus, ac pro revocatis, cassis, et annullatis haberi, nullique suffragari.

Quin imo libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris canonibus, constitutionibus Apostolicis, indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, et declaramus.

123. *Nec valet violenta quedam interpretatio a nonnullis allata.* — Pariter nil valet, quod pro indirecta defensione Peyrini affert Pellizarius, loc. cit. dicens, videri posse, per dictam Urbani constitutionem revocari duntaxat licentias legendi libros, non vero facultatem concedendi licentias legendi, quam facultatem vi privilegii habent superiores generales regulares. Nam rursus contra est; tum quia Pontifex per illa verba: Quomodocunq̄ a prædecessoribus Romanis Pontificibus, seu NB. a quibuscunq̄ aliis, vel ab ipso, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus concessas, etc. revocamus, manifeste etiam revocare videtur licentias vi similium facultatum habitas, vel habendas; tum quia certum videtur, per hanc Urbani constitutionem ipsos superiores generales privatos esse facultate legendi, et tenendi libros prohibitos ob generalem clausulam, sæcularibus quam regularibus cujuscunq̄ ordinis, societatis, ac quacunq̄ dignitate fulgentibus, etc. Atqui si ipsi carent facultate legendi libros prohibitos, eam aliis communicare nequeunt; cum nemo possit dare, quod non habet; ergo. Tum etiam quia hæc quæsitæ interpretatio aperte militat contra rationem et finem legis, consequenter contra legem ipsam. Cum ratio legis sit anima legis, per vulgaria.

124. *Præsertim ob constitutionem Alexan-*

*dri VII, omnium privilegiorum, etc., derogatoriam.* — Accedit, et rem extra omnem controversiam ponit constitutio Alexandri VII, *Speculatores Israel* citata supra n. 106, quæ indicem ab omnibus etiam regularibus exacte observari vult, Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon quibusve etiam juramento, et confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, seu quibuscunq̄ tenoribus ac formis, ac quibusvis clausulis, et decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et renovatis.

125. *Lectores et professores controversiæ in officii tacite sibi concessam non habent licentiam legendi libros hæreticos.* — Et ex hoc inferitur, carere etiam solido fundamento, quod quidem cæteroque doctissimus manutenebat, videlicet illis, qui ab ordinis sui superioribus applicantur docendis fidei controversiis, et convertendis hæreticis, in partibus hæresi infectis, tacitam concessam censi facultatem legendi libros hæreticos, et alios prohibitos; quia (ait) cui conceditur finis, conceduntur etiam media, quale ad cognoscendos, et confutandos errores hæreticorum cum suis fundamentis, est lectio librorum hæreticorum. Nam contra est; quod, cum juxta dicta superiores ipsi nec facultate legendi, nec potestate illam aliis communicandi gaudeant, nullo modo neque facite, neque expresse eam aliis concedere valeant. Nam juxta bis dicta, nemo potest dare, quod non habet.

126. Ad rationem oppositam respondetur, distinguendo, qui concedit finem, concedit etiam media illa, quæ in concedentis potestate sunt, transeat, quæ ultra ipsius potestatem sunt, negatur. Hinc talis ad fidei controversias, et convertendos hæreticos deputatus debet media ad finem suum conducentia, vel ex controversiis, et aliis libris Catholicis desumere, vel, si putat sibi ad illum necessariam esse etiam lectionem librorum hæreticorum, debet hoc medium petere ab illis, qui dare possunt, Papa videlicet, aut episcopo habente specialem facultatem concedenti talem lectionem: qui in tali casu, et ad talem finem libentissime dabunt: minime vero supponere debet, eam

sibi tacite concessam ab illis, qui illam nec ipsi habent, nec dare possunt.

127. *Qui librum hæreticum, aut alium prohibitum habet, debet eum tradere inquisitoribus, ubi officium viget.* — Quæritur V. Quid ergo faciendum cum libris hæreticorum, et aliis prohibitis? Resp. In locis, ubi viget officium Inquisitionis, ut in Hispania, Italia, etc. eos necessario et sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis contra hæreticos latis tradi debere inquisitoribus, ita ut non sufficiat eos propria auctoritate comburere. Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. x, n. 56. Palao *de Fide*, tr. 4. Disp. 2, pun. 10, § 2, num. 12. Farinacius, *de Hæresi* q. 180, n. 4. Barbosa, *de Offic. et potestat. Episc.* allegat. 90, num. 5. Ratio est, quia ita expresse statuit Julius III in sua constitutione, quæ incipit, *Cum meditatio*. Finis autem hujus constitutionis est, ut auctor libri hujus facilius cognoscatur, et, si opus est, apprehendatur, inquiratur, et puniatur. Quapropter debent inquisitores deferentem libros hujusmodi interrogare, unde habeat, a quo acceperit hos libros. Palao loc. cit. Barbosa, Sanchez, et alii supra citati.

128. Dicitur autem notanter, ubi viget officium Inquisitionis. In aliis enim locis, ubi Inquisitio non viget, ut in Germania, etc., quid cum libris istis fieri possit, et debeat, alia est quæstio. Ad quam si quis respondet, eos esse tradendos locorum ordinariis, utpote qui in talibus locis supplent vices inquisitorum, prout passim desumitur ex concilio Tridentino. Contra est, quod ipsimet reverendissimi ordinarii libros prohibitos legere, et retinere non possunt, nisi speciale ad id privilegium habeant, juxta dicta supra a nu. 56, consequenter illis necessario tradi non debeant.

129. *In aliis locis, sufficit, si comburatur, vel tradatur aliquibus habentibus facultatem legendi, præsertim monasteriis et quare?* — Hinc respondendum videtur, sufficere, et necesse esse, ut vel comburantur, vel tradantur alicui, vel aliquibus, qui specialem facultatem habent legendi, et retinendi libros hæreticos. Qualem specialem facultatem fere in quovis monasterio vel conventu in locis hæresi infectis unus vel alter immediate vel mediate a Sede Apostolica concessam cum habeat, in memoratis monasteriis recipi, ac retineri, ac in separato bibliothecæ loco asservari solent hujusmodi libri prohibiti ut, si, et quando opus fuerit facultate

eos legendi gaudentes, hæreticorum, et aliorum errores ex eisdem magis deprehendere, illosque et auctores illorum pro bono communi Ecclesiæ confutare valeant. Ad quem proin finem etiam plerumque consultius videtur, ut libri prohibiti, præsertim hæretici talibus religiosis, vel etiam aliis facultate eos legendi, et tenendi præditi (inter quos sunt etiam omnes horum locorum ordinarii juxta dicta) in his partibus tradantur, quam ut comburantur. Ubi tamen superiores locales sollicitè cavere debent, ne libri hujusmodi aliis, quam speciali facultate præditi legendi concedantur, neve ad manus aliorum devenire valeant.

130. *Declaratur indultum, seu facultas pontificia legendi, et tenendi libros prohibitos concedi solita regularibus, et demonstratur, quod non obstantibus clausulis in ea contentis habere regulares asservare, et bene custoditos habere possint libros prohibitos in suis bibliothecis.* — Nec obstat dictis, quod in Pontificio indulto, quo Regularibus supplicantibus concedi solet specialis facultas legendi libros hæreticos, et alios prohibitos, apponi solet Clausula, qua præcipitur Superiori Majori, Provinciali v. g. ut provideat diligenter, ne tempore facultatis elapso, aut post obitum eorum (subditorum videlicet, qui facultatem legendi habent) libri prædicti ad aliorum manus deveniant, sed una cum libris, quos ipse leges, et retinebis, reddantur igni comburendi, prout in recentissimo hujusmodi Indulto legimus. Ex quo nonnulli desumere volunt, libros hæreticos, et alios prohibitos igni comburendos, non vero aliis præsertim Regularibus facultatem legendi, et retinendi habentibus tradi debere. Non obstat inquam: Tum quia Papa per dictam clausulam solum intendit, ne libri prohibiti ad aliorum, quam facultate legendi gaudentium manus deveniant, neve ipsi facultate præditi ea utantur, postquam jam expiravit, uti patet ex ratione apposita illis verbis: Ne ad aliorum manus deveniant: quod utrumque absque combustione librorum præfatorum facile cavetur, si decedente aliquo specialem facultatem habente, libri prohibiti, quos habuit, ad separatam locum, et bene clausulam deferantur, quatenus, si ad convertendos, vel confutandos hæreticos, opus fuerit, a successore aliquo similem facultatem habente reassumi, et legi valeant: dummodo appropinquante fine quinquennii, ad quod facultas concedi solet, ejusdem facultatis